

Cap. XVII. Rubrica de electione protectoris
et notarii maleficii.

S tatuimus quod in electione protectoris et notarii ad malef-
ficium deputatorum procedatur in hunc modum: videlicet
quod penultima die regiminis fiat maius consilium, in quo
dentur duodecim brevia, quorum sex pro sex protectoribus et
34 A sex pro sex¹⁾ notariis male- // fitii in quorum sex scribantur
lector protectoris et in aliis sex lector notarii maleficii. ¶ Et
quicumque habuerit ex dictis sex brevibus protectoris eligere
debeat unum bonum hominem scientem litteras et etate triginta
annorum et ultra, et ipsis sex protectoribus sic electis, tunc
balotetur unus contra alium in dicto maiori consilio ad pi-
scides et balotas, et ultimus qui optinebit per maiorem partem
dicti maioris consilii sit firmus protector. ¶ Et quicumque
habuerit ex dictis sex brevibus notarii eligere debeat suum
notarium meliorem qui sibi videbitur, et electis dictis sex no-
tariis, tunc balotentur, scilicet unus contra alium ad piscides
et balotas, et ultimus qui optinebit in dicto maiore consilio
sit firmus notarius maleficii. ¶ Qui vero protector et notarius
sic confirmati durent in dicto offitio per quatuor menses et
habeant pro suo salario pro utroque ipsorum de camera co-
munis²⁾ sold. quindecim gross. ¶ Qui vero protector habere
debeat unam clavem ad bancum malefitiorum et notarius
malefitii aliam clavem, qui notarius ipsum bancum aperire
non debeat sine presentia ipsius protectoris, nec accipere ac-
25 cusas seu excusas unam vel plures, dicta testium nec alia
pertinentia sive expectantia³⁾ ad dictum offitium malefitii sine
presentia ipsius protectoris, sub pena quinquaginta libr. par.
pro quolibet notario contrafatiente et qualibet vice contrafacta.
¶ Et si aliquis notarius malefitii renunciaret dictum offitium,
30 quod a die refutationis in antea usque ad unum annum sub-
sequentem ipsum offitium habere non possit.

¹⁾ pro sex è aggiunto in margine. ²⁾ Aggiunta marginale. ³⁾ experantia.